DISSERTATIO MEDICA
DE
REMEDIIS SIMPLICITER AC PERMODICE ADHIBENDIS

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE IENENSI
DIE XII M. APRILIS A. MDCCCXXXVIII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUILIELM. CAROL. FERD. MEYNE
BRUNSVICENSIS
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR.

IENAE
TYPIS SCHLOTTERI.

Lecturis S. P. D.

Diversas medicinae partes, si quis vel leviter tantum perstrinxerit, vitiis admodum variis iisque gravissimis, quae partim quidem facilem, partim vero, opinionibus praejudicatis atque inveteratis rationibusque vitae humanae videlicet suffulta, perdifficilem admittere videantur curationem, vehementer laborare hodieque, facile quispiam intellexerit.

Ac vero si cognoveris, hanc nostrae disciplinae partem, quam constat rem caussamque continere, totamque medicinam fundamenti loco habere superstructam, mendis ac vitiis perturbari in oculos incurrentibus, operae pretium certe esse duxeris ut ad illam magis magisque excolendam, qua exculta tota medicina colatur necesse sit, omnibus viri-

bus enitamur. Ac facile quidem tibi persuadeas illam partem medicinae quam therapiam vocant, hisce innui, quam a maxima medicorum parte hucusque neglectam etiamnum negligi ita, ut compendia de remediorum effectibus pervolvens cum stupore admirere noctem quandam toti inde medicinae effusam, in qua tanquam in media luce medici segniter acquiescere consueverunt. Quorsum hae tenebrae, natura ipsa certam nobis viam monstrante. Quaenam, cedo, caussa est, cur mixturam medicamentorum faciamus, de quibus vel unum morbum valeat depellere? Equidem nullam omnino esse, quin etiam tantam esse inscitiam de rebus naturae earumque effectibus, ut medici post hominum memoriam nihil certi fere exploratum habeant atque cognitum, sine ulla dubitatione affirmaverim. Quum igitur opera quam maxima navanda esse videatur, ut vim atque effectum cum rerum naturalium, tum vero inprimis medicamentorum rite indagemus, Lector libelli hujus benevole quae pro qualicunque mea virili parte ad promovendam illam scientiam attulerim, aequi bonique consulas, oro atque obtestor.

A u c t o r.

§. 1.

Quum primum medicina, quae sibi hanc legem scripsit, ut morbos et sanaret et praecaveret diagnosi, prognosi ac cura Hippocratis in artis scientiaeque formam redacta fuit, adhibebantur simplicia remedia a rerum natura in Graecia largiter suppeditata iterumque toties usurpata, quotiescunque similes casus, in quibus vis remediorum probata fuit praesentissima, acciderunt. Tali autem modo rudimenta praxeos posita sunt, haecque fuit sola vera via, qua firmiter pressa medicina ad justum perfectionis cumulum evecta esset, nisi medici seducti opinionibus praeconceptis subtilioribusque commentis a justo veritatis tramite deinceps aberrassent. Quibus rebus factum est, ut medicina subsequenti tempore quin etiam praesenti mirifice deformaretur ac depravaretur, ex philosophorum castris in castra conjiceretur, tum Chemia tum vero etiam Mechanice inniteretur, vel pathologis, et ab humore et a solido qui nomen habent, obtemperaret, tandemque vario decursu per Stollium contra stomachum duceretur nunquam quiescentem, quae a Paracelso olim ducta fuit adversus Archaeum spectra videntem. Dum nostra deinde disciplina utrobique exagitabatur misereque exercebatur, philosophemata varia excutiebantur minime sibi

constantia interque sese pugnantia ac prae se ferentia nimia auctorum sui studia, somniaque seu noctu visa brevi evanescentia. Cum grata autem memoria posteritas recordabitur nomina *Celsorum*, *Galenorum*, *Sydenhamiorum*, *Boerhaaviorum*, *Reiliorum*, *Huflandiorum* atque *Hahnemanniorum* virorum immortalis memoriae; commenta vero plurimorum medicorum, qui subtilius de arte medica olim philosophati fuerint, oblivione deleta et antiquata, nunquam renascentur.

§. 2.

Praesenti autem tempore nomina virorum summe suspiciendorum nuncupantur, ut *Kieserorum*, *Rudolphiorum*, *Starckiorum* inter omnes veri reperiundi studio mirifice excellentium. Dolendum autem vehementer est, quod illud excitandi placitum apud maximam medicorum partem hodie praeponderat, quocum opiniones ex philosophia naturali rerumque natura petitas amplius commiscere nulli dubitarunt. Hinc factum est ut, quae ex rationis fonte hausta medicina sit nomen rationalis medicinae sibi vindicet, facile quidem concedendum, quippe quae fonti, ex quo sitiens frustra sitem explere cupiat, optime scilicet comparari queat.

§. 3.

Quod si vero id agitur ut medicina finem propositum exsequatur, theoria praxi innitatur necesse est, neque vero vice versa, quandoquidem praxis medicinae, quae dicitur, ex experientiae legibus dependeat, theoria autem per se cogitata illis legibus soluta ac libera sit, id quod cum notione mixtae disciplinae ut medicinae minime congruit. Contra vero si, ut moris tralatitii atque inveterati est, praxis innixa theoriae est, solidum utriusque partis fundamentum tollatur necesse est, quo sublato medicina exploratior ac perfectior evadere nequit.

§. 4.

Pharmacologia autem seu doctrina de medicamentis, quae in rerum natura campum late patentem complectitur, cum medicum eo adducat, ut voluntatis compos fiat, gravissimi momenti esse videtur. Pharmacologia autem cum in rebus occupata sit, quae sanam atque integram animalium naturam atque indolem male afficere valent et male sanam bene, sive intrinsecus sive extrinsecus illi applicentur, quamvis materiam vel ex plantis vel ex animalibus vel ex mineralibus depromtam, dummodo ad finem medici sit aptissima, usibus suis inservire patitur.

§. 5.

Est autem praecipue hujus disciplinae ut de viribus rerum naturalium salutiferis certam nobis impertiat cognitionem; neque vero id solum, sed etiam ut doceat, qui tandem fiat, ut vim ac efficaciam exserant. Quibus rite exploratis atque perceptis, et insimul rationes naturam corporum animatorum inter ac res externas intercedentes, nec non medicamentorum qualitas itemque adhibendi modus magis inclarescerent.

§. 6.

Ad explicationes dein de medicamentorum effectibus deque rationibus inter animalium corpora ac res externas intercedentibus, quod attinet, admodum vitiosae hodieque sunt neque sufficiunt, quin etiam sibi repugnant. Alii pugnam quandam naturae corporum animalium cum adhibitis remediis statuunt, amicam alii conspirationem, quibuscum et ipse facio, censens, mentem nostram amicam quidem cum vero conspirationem affectare, revera autem ab hac longissime abesse; internam quippe rerum naturam atque indolem nemo mortalium facile perspiciat.

§. 7.

De effectibus autem medicamentorum haec statuo:

Medicamenta naturam animalium amice quasi conspirantia perpetuo bene afficere, dummodo ad justum delectum justa quantitas, temporisque quo praebeantur, opportunitas accesserit, male vero ac conjunctim magis inimice, si quantitas justo nimia, vel tempus importunum, ac remedia ipsa omnino minus juste delecta erant.

§. 8.

Ac vero experientia edocti cum probe sciamus, certa quaedam nobis a rerum natura suppeditari medicamenta ita comparata ut naturae humanae optime conveniant ac sub conditionibus supra positis aegras atque infirmas corporis humani partes denuo corroborare atque redintegrare possint, efficitur ut corpori humano, in rerum natura, quacum firmiter conjunctum sit, quodam modo dominanti, quocunque demum casu morbo affectum sit sub conditionibus supra positis opem ac medicinam ferre possemus exoptatam.

§. 9.

Justum autem remediorum facere delectum nec non justum constituere tempus,

quo humano corpori applicari possint, id quod medicus rite cognitum ac exploratum semper habere debet, mere experientiae est. Omnis autem quaestio de rebus cur et quomodo fiant, ut menti humanae divinitus insita atque innata est ac perjucunda, ita tamen inutilis est antequam conditiones supra propositae initae sint. Numquid iis, quae a Chemicis deque natura philosophantibus praestita sunt, certior facta medicina est? Minime vero. Etenim si veteris medicinae errores novi deinceps excipiunt idque praesenti tempore, quo novam lucem medicinae afful-gentem temere exstinguere medici student, num, quaero, amplius digna medicina est, quae rationalis vocetur?

§. 10.

Mixtura medicamentorum porro est unus de multis erroribus, quibus decepti medici diutius quidem quam pro salute nostra vitam hominum in discrimen adduxerunt, ita ut quidam clinices doctor maxima auctoritate de remediis commiscendis disserens uti carnes non conditas minime posse digeri ita nec medicinam, nisi remediis additis vim atque efficaciam exserere strenue doceret.

§. 11.

Nota res est extraque controversiam posita, quamvis materiam medicinalem in naturam animalium vim exserere propriam a vi alius plane diversam. Et varios hos effectus ac fines natura ipsa varietate formae odoris et saporis satis superque docuit.

Hinc pro certo affirmare licet unum quodque medicamentum nobis adhuc cognitum in partem quandam animalium appropriatam vim habere morbumque ibi accidentem tollere posse. Ergo recte concluditur tot esse remedia, quae vocamus specifica, quot accidere possint morborum casus.

§. 12.

Ac vero experientia duce intellectum nobis est, morbos quosdam eosque gravissimos simplici remedio, id est, uno tantum specifico, a forma non mixtura mutato, fuisse sublatos. Etenim febres statae v. c. in multis casibus chinae cortice depelluntur; lues venerea hydrargyro abigitur; cantharides genitalibus ac systematibus uro-poëticis optime respondent faucibus et pharyngibus atque iridi belladonna; sulphur externas cutis partes, dulcamara et ipsa cutem extremitatesque superiores saluberrime afficit.

§. 13.

Cognito autem, nos vel simplici remedio, id est tali quale a natura suppeditatum, a forma quidem praeparando, minime tamen miscendo commutatum ad morbi sanationem adhibitum est, fieri voti compotes, plura remedia secum conjuncta aegro praebere a proposito nostro prorsus alienum atque inutile quin etiam perniciosissimum statuo et aegroto et vero medico inscio quippe vel in praesenti, qualem, quantamque vim unum quodlibet remedium, nedum remediorum farrago quaedam in naturam animalium exserat.

§. 14.

Hoc enim aegrotus homo exinde periculum subit ut, diversis medicamentis diverse ipsum afficientibus, malis mala addantur aut aegrotum hominem necantia aut morbi speciem medicamentorum symptomatis praeter spem atque opinionem accidentibus ita perturbantia, ut medicus, remediis remedia addens, hominem misere excruciatum ad mortem tandem perducat. De qua autem quamquam, praetexendo culpae nomen se excusant medici ementientes v. c. nimis rapidum fuisse morbum vel gravitatem morbi invaluisse adversus omnem medicinam, inexcusabili ta-

men sua inscitia mortis aegri curae ipsorum demandati praematurae ac miserrimae culpam contraxisse non possunt non concedere. Infinitum quantum igitur nocet medicus, qui, per levitatem medicamentorum multitudine abutens, farraginem confuse mixtam sive aridam sive liquidam quotidie aegroto praebeat, avis rapacis instar semper necantis nec unquam servantis.

§. 15.

Nemo autem medicorum totum cujuslibet medicinae in naturam animalium effectum rite curavit adhuc indagandum. Quem exquirere si velles aegrae tantum naturae animalium medicinam faciens, symptomata morbi ab effectibus medicinae cum dignosci nequeant, minime votis compos fieres. Ac vero effectum cujusdam medicinae brutis praebitae nec satis explorari posse, nec, si posset, usui nostro inservire facile intelligitur. Adde quod a priori effectus remediorum nemini noti sunt nec esse possunt. Via igitur recta ac certa, quae in re proposita ad verum reperiundum ducit, nisi *Hahnemanni* praevii ducis atque antesignani vestigiis primum inventa ac calcata esset, plurimi certe medici a fine adhuc prorsus aberrarent.

§. 16.

Qui autem statuunt alimenta nisi aromatibus adspersis digeri non posse, ii toto orbe mihi errare nec refutatione nostra digni videntur.

Proventus enim terrae, qui in alimentis numerantur, ad commutandam naturalem corporis conditionem quod attinet, prorsus indifferentes, omnes, valetudine nostra ne minime quidem turbata, in succum et sanguinem convertuntur. Caeterum censeo omnia illa alimenta sine aromate vel alio additamento simpliciter ac modice capta optime posse digeri, immodice capta a natura exportari, ac quo major iis aromatum quae et ipsa medicamenta sunt, admixta portio sit, eo majorem corpori humano afferri noxam.

§. 17.

Itaque vel maximae inscitiae de medicamentorum effectibus arguuntur qui, auctore celeberrimo, temere opinantur remedia nisi cum aliis conjuncta vim atque efficaciam suam exserere non posse. Etenim unumquodque medicamentum quod sanam animalium naturam, ut jam supra docuimus, male idque ab effectu cujusvis alius diverse afficere valet, idem sub conditionibus supra propositis vel

solum morbum tollere potest. Quod si duces sequimur eos, qui, quae ipsorum perversa opinio ac ratio est, medicinam e decem medicamentis mixtam et compositam morbo facere assolent, (quamquam unus ex una natura semper depellendus morbus est,) eo deducimur, ut intelligamus unumquodque remedium, puta justum, vim suam amittere, reliqua contra remedia illi admista proprios effectus habere nec non producere symptomatum quodlibet maximam medicorum partem ab erroribus ad errores, qui omnes ad unum aegroto homini periculosi fiunt, facile seducentium.

§. 18.

Squilla et digitalis v. c. appropriatam licet, medica materia et ipsa adstipulante, vim habent, eodem tamen loco Aesculapii monentur quas ne solas, nauseam ac vomitum alioquin creantes, aegroto homini praebeant.

§. 19.

Hoc autem iterum magno argumento est, effectum remedii cujusvis, si cum aliis conjungatur, maximam partem infringi atque tolli, id quod minime accideret, si digitalis vel squilla sola ac minori dosi casui proposito convenientiore praeberetur.

§. 20.

Examinare igitur medicamenta examinataque adhibere idqne simpliciter pure atque incomposite, hoc vero est materiam medicam corrigere ac vere ditare.

§. 21.

Hinc autem factum vulgo est ut medicamentum quodvis in thesaurum materiae medicae rudem adhuc atque indigestum habeamus receptum, quod peculiarem quandam, credo, et appropriatam in corpus humanum vim eamque inopinatam medicisque exoptatam exseruerat. Quo facto virtus et efficacia medicamenti potentissima ac praesentissima in omnibus ephemeridibus medicis omni, qua par est, laude celebrabatur et, ut omnium puncta illud ferret, opus tantum erat ut originem haberet ex peregrina quadam ac remota terra, Americae scilicet tractibus sylvestribus, quos Heringus quidam errabundus nuper peragrabat, arcana, opinor, exploraturus, vel ex Arabiae desertis vel Indorum arvis amoenis ac paradisiacis, id quod satis super que erat laudum, ut medici in peregrini cujusvis buccinatoris auctoritate acquiescentes omnem remedii examinationem prorsus repudiarent.

§. 22.

Talibus ac sub aliis id genus auspiciis thesauro medicorum suggesta sunt remedia haecce: cortex alcornoce, cortex culilabani ex lauro culilabana in Moluccis oriundus, cortex Winteranus ex Wintera aromatica, anacardium, costus dulcis ex costo arabico, stincus marinus, sassafras ex lauro sassafras, guajacum, quassia simaruba, cortex angusturae ex bomplandia trifoliata cet., quibus ad unum omnibus hoc mali accidit, ut, si minus in plurimis morborum casibus eventus responderat laudibus, sensim antiquata, oblivione delerentur.

§. 23.

Repugnare enim divinae mundi gubernationi cum videatur ut in terris, a nobis dissitis, coelique tractu, indigenarumque moribus et alimentis plane diversis remedia exquireremus, cominus potius homini aegroto remedia petenda esse saltem accurate exploranda esse antequam ad remota recurrat, recte statuendum censeo.

§. 24.

Neque vero is medicamenti vim ac efficaciam plene perfecteque perceptam habeat atque exploratam, qui secundum effectum in ae-

gra animalium natura conspicuum, vim remedii salubrem ac virtutis gradum constituere vellet, quippe cum effectus medicamentorum a morbi symptomatibus non plane dignoscantur, sed pro intellectu ac sensu uniuscujusque varie effingantur.

§. 25.

Quod si vero, ***Hahnemanno*** auctore ac suasore, sanis corporibus medicamenta praebens, vim et efficaciam medicinae exploraveris, nova quaedam lux tibi videbitur oblata. Etenim in sana corporis conditione pure ac sincere ad minimum usque vim propriam ac efficaciam remedia cum doceant, virtutem sanandique vim facile constituas. Hinc eo majora universae medicinae redundabunt emolumenta partim quod pharmacologiae, remedio quodam explorato, specificum additur, partim vero quod ex illa remediorum exploratione proficiscitur legis cognitio, ex qua medicamenta species morborum similes iis, quas produxerunt antea, tollere possunt, idque eo certius, quo similiores species medicamentis effectae symptomatibus morbi apparent.

Paracelsus remediorum simplicitatem olim commendavit; *Conradus Gesnerus* vim remediorum in semetipso expertus est.

§. 26.

Nobis deinde persuasissimum est, ut jam pridem medici sibi persuasisse debebant, tantum abesse ut majorem remedii massam morborum curatio sibi vindicet, ut minores doses sanationem corporis certius perficiant. Majores enim doses noli metiri pro rata portione improbe comedentium propterea quod medicamenta quae ab alimentis cum corpore quotidie quasi conflictantibus per quam valde differunt, immodice capta vel maxime nocent. Medicamenta autem parum modice capta similiter corpus afficiunt ac frigus super corpus derepente effusum, quod id ipsum nocentem ac saepe etiam mortiferam vim habet.

a) Vidi quondam infantem trimestrem simulac a candidato medicinae calomel acceperat, moribundum. Nimia porro dosis puero biennium nato, qui ab alio grana duo opii accepta hauserat, paravit mortem. Puella denique quinquennium nata cum ex manibus alius medici grana duo tartari emetici porrecta ceperat, protinus dedit animam. Detestabilem noxam a majoribus dosibus allatam quotidie fere videre licet in syphiliticis hominibus, qui, si in fatis fuit, ut medidicus more solito Hydrargyro scilicet morbum curaret, miserrime plerumque perierunt.

§. 27.

Remediorum vi in sanum corpus explorata insimul temporis spatium addiscitur, quo elapso vim ostendunt.

b) Quodsi intra duas horas unum medicinae cochlearium vel duo in succum et sanguinem converti certum est; quid tandem est cur potionem medicinae, quae suam vim jam effecerit, rursus repetamus. Numquid multae remediorum librae deglutiendae videntur?

§. 28.

Ad haec cum respexeris, eandem medicorum temeritatem atque in remediis commiscendis ac mensura dosium constituenda inveneris. Nonne summe ridiculum est ac magnam medici stultitiam prodit, mixturas remediorum, quorum effectus adhuc nesciat, aegroto homini sub ea conditione proponere, ut vel quarta vel dimidia quaque horae parte vel duabus quibusque horis unum cochlearium capiat?

§. 29.

Res quidem perdifficilis est magnamque postulat industriam ac diligentiam, intercapedines remediorum, quibus vim et efficaciam exserunt, indagare ac constituere; multo ta-

men majus ac pulchrius operae pretium cum ad finem pervenimus exoptatum.

§. 30.

Quo ut tandem perveniamus, et in viris et in mulieribus et in infantibus ac diversis corporis conditionibus vitaeque humanae rationibus remedia explorare nostrum est. Quantitas autem remedii quanquam vel augenda vel minuenda est ex gradu effectus excitandi, raro tamen portionem grani unius seu sexagesimae drachmae partis explere debet.

§. 31.

Diversis autem diei partibus remedia accipi debent et ante coenam et postea, quo medicus, quodnam tempus ad medicinam capiendam sit aptissimum, rite compertum habeat.

§. 32.

Neque vero mista, id est, quemadmodum natura suppeditat remedia, a forma quidem non miscendo mutata, examinari praeberique aegrotis debent; etenim quis est qui dulcedinem mellis cum absynthio mixti sapiat, vel quis est qui vim rhabarbari Ipecacuanhae, opii explorare possit, decem remediis admixtis?

§. 33.

Neque vero in eodem loco ponere remedium quodque debemus, e numero aliorum, ut vim solventem habentium prolubitu electum. Quum enim aliud remedium omnino aliter corpus humanum afficiat patet nulla esse surrogata.

§. 34.

Itaque, quod se excusent non habent neque medici neque pharmacopoei qui loco sassaparillae caricem arenariam praebent, loco chinae corticem salicis s. quercus; loco extr. graminis . . . .; loco extr. quassiae extr. absynthii minori pretio venale; loco trium moschi granorum, unum cum dimidio, odorem quantitas cum non augeat.

§. 35.

Arte factus calor autem, qui vel solus vim remediorum miscendo immutare atque infringere valeat, in remediis adhibendis devitandus.

Conferantur hoc loco succi e plantis extracti. Calefaciendo porro balnea cum vi efficacissima priventur, quod frigida ex fonte scaturiens ubique calefiat, vehementer dolendum.

§. 36.

Nolite igitur medici, quibus balneorum demandata cura est, rerum vestrarum nimis cupidi temere atque inconsulto calidas aquas infinitis celebrare laudibus neque fontes illos, qui voce sua vos allocuturi invitaturique videntur, silentio praeterire. Recordamini quaeso primam fontium salutarium inventionem! Nonne frigida lavando frigidamque bibendo auctoritas fontium illorum debetur? Quodsi vero mollitiem corporis favere vultis cameras balneorum calefaciatis non fontem prosilientem, quandoquidem calefaciendo maxima aquarum virtus deposita in lavacris resideat.

§. 37.

Fontium salutarium quoque virtus examinanda nec non aestimanda videtur ex vi in sanum corpus influente, non chemica quadam analysi semper differente, unde factum est, ut medici unicuique balneo omnibus malis ac vitiis medendi facultatem adscribant.

§. 38.

Ac vero denique cum nobis persuasum habeamus remedia forma simplici minorique dosi praebenda esse, et ipsi medicinae forensi nova lux affulgebit. Ad hunc usque diem judicare perdifficile erat, supraque humanas vires po-

situm, quam culpam vel medicus vel morbus morte aegroti contraxerit, propterea quod aut vim medicinae sanantem aut necantem non habuimus usu cognitam et exploratam, exceptis venenis compluribus, quorum mortifera vis satis superque explorata est. Solida autem effectum remediorem adepta cognitione, inquirentes in mortis caussam medici, abnormitates, quas dicunt in intestinis corporis repertae utrum a medicamentis an a morbis effectae sunt, haud amplius haerebunt.

Quibus omnibus nisi rite perceptis atque exploratis, vel ex anatomia pathologica parum nobis emolumenti redundaturum censeo.

THESES.

I.

Colores aegrotorum in iis curandis sunt gravissima pathognomica indicia.

II.

Venaesectio numquam fieri debet.

III.

Animi facultates, aut ossibus cranii prominentibus aut impressis cognoscimus.

IV.

Homoeopathia nihil aliud est quam materiae medicae emendatio.

V.

Cognitio ligamentorum in corpore quam musculorum multo gravior.

VI.

Lien, glandula thyreoidea solummodo hunc finem habent, ut calefaciant.

VII.

Forceps obstetricia non humanitatis et hujus perfectioni accommodata, sed ruditatis est, quod ea etiam plus damni, quam utilitatis affert; idcirco omnino rejicienda est.

VIII.

In morbo syphilitico omnia remedia externa sunt respuenda.

IX.

Arteriis laesis et aneurysmate exorto, ligatura statim adplicanda.